

Q. K.
384
216

(X1704167)

II n
6360



Q. D. B. V.
DIATRIBE HISTORICA
POSTERIOR

Qua
præter

GENUINAM ORIGINEM;
ANTIQUOS

CURLAN-

DÆ GENTIS

MORES



publicè recensabit

P R Æ S E S

M. SAMUEL RHANÆUS,
Gramsdenâ Curlandus.

RESPONDENTE

JOH. CHRISTOPHORO ERNESTI,

Keula-Thuringo.

Ad diem III. Novemb. A.O.R. M. DC. LXXIII.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ, Typis Viduæ Augusti Brüningii,



O. D. & N.
DIATHE HISTORICA
POSTERIOR

GERMANIA ORIENTEM

ANTHONY

GERMANIA

DE GENTIS

MOSES



1783

GERMANIA

ANTHONY

GERMANIA

ANTHONY

ANTHONY





Quod superiori disputatione persecuturum me recepi, id in praesens exequi, constitutum mihi est, quoniam promissi fides me admonet, & ratio ordinis hanc seriem omnino poscit.

§. XVIII.

Quicquid ergo placeat eruditis, quicquid itē de Sarmatarum origine Scriptores commemorati eligant; ego Praeceptoris Germaniae, clarissimi Melanchthonis vestigia omnium maxime sequenda mihi existimo: quandoquidē aliorum suffragia accedunt, eaq; doctiorum applausu muniuntur. Deducit autem ille Sarmatarum, & sigillatim Henetorum seu Venedorum, (quos ille quidem promiscuē pronunciat) origines, à RIPHATO, Gomerifilio: cuius verba non piget apponere, ut tanto dulcius ex ipso fonte bibantur aquae: (a) à Riphat, inquit, Riphei, i.e. Gigantes. Notissima est autem appellatio Ripheorum montium, de quibus, etsi quid alii scribant, non ignoro, tamen in illa parte Septentrionis hac appellatio celeberrima fuit, in qua fuerunt Sarmatae, & inter Sarmatas Heneti, sicut Ptolemaeus inquit; Sarmatarum gentem maximam Henetos esse. Nomino autem Henetos omnes, ubicunq; confederunt, qui lingua Polonica utuntur, etiamsi dialectis differunt. Et paulò post, progressos, subicit, Henetos, occupasse & adhuc tenere eas regiones, quae nunc nominantur Russia, Lithuania Polonia. Pauloque ulterius, complevisse etiam littus Balticum, addit, unde nomen esse in Prussia Sinus Venedici. Concludit tandem, à Riphat, Ripheos, hosq; Sarmatas esse & Henetos. Idemq; in re pari, felicitate non impari, aliis verbis persequitur, quae jam prioris diatribae §. X. recensui, atque huc arcessi debent.

(a) Chron. Carion. Lib. 1. fol. 23.



§. XIX. Neq; id primus & nuper admodum, atq; ex suo saltem ingenio commentatus *Melanthon* existimari debet, cujus antiquiora sanè vestigia extant. Etenim si vera (a) *Bochartus* scribit, jam inde *Eusebius*, Sauro natas per Riphæos interpretatus est, nihil etiam obnitente *Josepho*, quem Paphlagonas per Riphæos explicantem, dudum conciliavit *Melanthon*, inter antiquius, & sequioris ævi nomen distinguens. *Melanthoni*, viro gravissimo, subscribit Jureconsultus & Polyhistor eximius, & in originibus Sarmatarū & Slavorum exercitissimus, (b) *Johannes Matthias a Sudetis*, & utrique horum, præter alios, nuper adhuc (c) *Georg. Hornius*.

§. XX. Facile autem in concordiam redigi, componique possunt, qui cum *Beroso* & aliis, *THUISCONEM* condidisse Sarmatas autumant, quive exinde *Thuisconem* Germanorum Sarmatarumq; Patrem appellant. Aut enim illi *Thuisconem* eduxisse *Japhetigenam* Riphæorum progeniem, (exemplo (d) *Aventini* non multum dispari) credunt, atque sic *ASCENAZO*, non *paterna generationis* beneficium, sed *prima* saltem *introductionis* deberi a Sarmatis, existimant. Aut etiam, quod vel maxime crediderim, non probè, & neglectis originum, migrationumque characteribus, non accurate Sarmatas distinguunt a Germanis, cujus vel hoc argumentum est, quod (e) *Job Funccius* per Sarmatas *Thuiscones* Germanosue interpretetur, atq; nonnulli apud (f) *Willichium* Rhæni Sarmatas adducant, qui verè & propriè dicti, nulli fuerunt; quò ipsò coargui *Berosus* debet, quem vel hoc nomine, quod Sarmatas Rheno terminat, suspectū merito doctis omnibus (g) *Job. Matthias a Sudetis* habet, dubitatq; an is sit, qui Alexand. M. temporibus vixit, & cujus historias citat *Josephus* & *Athenæus*, cuique statuam, inauratâ lingua, Athenienses in gymnasio statuisse, autor *Plinius* existit.

§. XXI. Nunc ergo ex iis, quæ satis & abunde dicta sunt, DE GENUINA CURLANDÆ GENTIS ORIGINE, ita colligo, concludo

(a) *Phaleg. lib. III. Cap. X. p. 193. C.* (b) in *Subsecivis, de origine Bohemorum & Slavorum* (c) in *Imperiorum & Regnorum, historia, p. 108. & 109.* (d) vid. *diatrib. prioris §. XIII.* (e) in *Chronol. fol. 11. ad annum 6. Ital.* (f) in *Tacitum ap. Schard. rediv. fol. 42. B. 1. & 11. [g] in Bohem. & Slavor. origine.*

doq; ,Curlandam gentem e Riphato, Gomeri Japhetigenæ filio, prognatam, propagatamque esse, ita tamen, ut (si *Matth. a Sude- tis* sequimur,) Riphæi (a) (*Pomp. Mela* RIPHACES, & ARIMPHAEOS (b) *Plinius* dicit) seu HENETI aut PAPHLAGONES in terra Asia patria, usq; ad excidium Troja, annum a condito M. 2788. a diluvio 1131 a condit. tur. Babyl. 1030. ante N. C. 1183. permanferint, tum ex Paphlagonia egressi, AUT prius Illyricum, præter vicina ad Bosphorum Cimmerium loca, occuparint, exinde verò, cum sedis suæ habitationisque spatia, crescente indies sobole, magis magisque impleri, nec capiendis tot incolis sufficere posse intelligerent; novas sibi terras, Septentrionem versus quarere coacti, in has usq; oras diffusi sint; AUT, *immediatè* statim, & rectò itinere, aliqui eorum, (cò tamen discrimine, ut, qui in Illyrico confederint, VENETOS, apud probatos autores, qui ad Arcum commigrarint, VENEDOS scriptos, deprehendas;) huc concesserint, atq; sumpto, per occasionem morum, generali SAUROMATARUM nomine, totius undique maris, exinde dicti SARMATICI, littora Septentrionalia impleverint, Scriptoribusque antiquioribus præter dicta modo SARMATARUM, VENEDORUMque nomina, mox SCYTHARUM, mox ÆSTIORUM, mox LEMOVIORUM & EFFLURUM, mox HIRRORUM atque RIPHACUM, appellatione venerint, si unicus, quantum ejus mihi constat, *Ptolemaus* excipiat, qui CARYONUM vocabulò eos denotasse videtur.

§. XXII. Sexto tandem à Ch: N. seculò, SLAVICI nominis historiæ inserti, Nonò, quò Franci Carolovingi regnabant, CHORI dicti, Undecimò postea, Duodecimo, & sequentibus, CURETES, CURI, CURONI, & imprimis CURLANDI nominari cœperunt; Quod cum plus satis jam priori diatribe §. I. II. III. IV. V. VI. VI. dixerim, isthuc L. B. remitto, atq; omnino ex dictis GENUINAM CURLANDÆ GENTIS ORIGINEM intelligi posse, mihi persuadeo, inde etiam id largius exequi desino. Unicum hoc obiter, atq; *ως ἐν παρόδῳ* adjicio, quod de antiqua Illyrici urbe apud (c) *Strabonem* reperi, quæ ipsi VENDUM dicitur,

A 3

unde

(a) *Lib. I. cap. II.* (b) *Lib. VI. cap. VII. Hist. Nat.* (c) *Lib. IV. & VII. de situ orbis.*

unde non falso fortè indicio, vel nominis argumento, quod proximè dixi, confirmari posse videtur; non enim obscurè id ipsa indicat, HENETOS, VENEDOSque latè se diffudisse, & non minus in Illyrico, quam nostra Curlandia, habitationis suæ nomen reliquisse: Nec tamen valde repugno, si cui magis placeat, quod non nemo VENDI, Curonorum oppidi paronymon, à VINNONE, Ensiferorum ordinis Magistro, ex *Chron, ord. MS.* repetere cupiat satagatque.

§. XXIII. Alterum nunc thema tractandum mihi est, INDIGENÆ AN ALIENIGENÆ sint hodierni incolæ, qui ex RIPHATI quidè posteritate hic supersunt, & in plebe rustica, vestigia istius stirpis habent. Quæstionis summa in eò posita est: utrum ABORIGINES censerì debeant, & unâ eâdemq; , ac non interruptâ propaginis serie, iisdem parentibus VENEDO-SARMATICIS, quos RIPHATIGENAS, ex Paphlagonia huc commigrasse, priori themate constitit, propagati? an verò, hisce penitè extintis pulsive, aliorum, ceu nova prorsus colonia introducti, aut ad minimum etiam, exterarum gentium adventu, hospitiiisque commixti, conjunctive credi possint? Quod sane thema, tantò est intricatius, quantò curiosius, & tantò minus accuratè à me definiri posse fateor, quantò magis à summis quibusque historicarum rerum Scriptoribus, usque huc, neglectum esse, nemo mecum diffiteri potest. Dicam tamen, quod mihi ex qualicunque migrationum cognitione, & imprimis caractere sermonis, (qui præcipuas hoc in argumento partes, meâ sententiâ sustinet) verosimilius videatur.

§. XXIV. Quamvis autem non merè ABORIGINES crediderim, tamen nihil meæ opinioni officit, si ante eos Scythæ in, has terras venerint, quippe, quorum tunc non fixæ sedes, nec animus manendi, certumque habitandi institutum fuere, atque adeò ABORIGINUM prærogativam verè haud possederunt. Equidem haud diffiteor, similitudinis, & morum universi populi congruentium documento, & lingvæ in universum dialecto

lectō (perpaucis vocabulis, tribusque saltem aut IV. vocalibus: exceptis, quæ commutari inter Sengallos Curonosque solitæ, consuetudine irrepserunt, eosque non distinguunt) adducī forsā posse quenquam, ut pueros indigenas, neque exteris permixtos credat; attamen, si, quod historiæ fides exigit, ingenuè aperiendum est, fieri non potuit, quin tot tantæque, in has, aut finitimas certè oras, factæ migrationes, non aliqua saltem commixtionis vestigia relinquerent. Libens taceo, quod de GOTHORUM, trecentis ante Ch. N. annis, in terras Septentrionales adventu, *Pytheas*, Scriptor antiquissimus, apud (a) *Plinium* enarrat: Nec dicam nunc, quod ÆSTIORUM, penetrata Prussia, Livoniaq; celebratorum, & ab origine Germanica descendentium, non obscura vestigia in ESTHONIA, hodiernum existant. Multo minus huc adferam, quod apud (b) *Johannem Magnū* de altera GOTHORUM sec. I. facta in has regiones commigratione, legi potest, qui duce Getherico e Gothia, maritimo itinere egressi, superatis Ulmeragis, CURETIBUS, Samagetis, Estonibus, tandem relictis præsidiis, Vilimero, Getherici filio parere jussi, in Gothiam, cum honestiori victoria rediisse scribuntur. Alia prætereo, quæ satis evincunt, non potuisse incolas nostros usquè ad eò impermixtos servari, ut non unâ & altera vice, exteræ gentis necessitudinibus se illigarent. Unicum sermonis argumentum sat validum est, & probaturo sufficit; Etenim si purè gens nostra hodiernum SLAVONICA, nec exteris quibusdam admixta esset, & linguam ejus dialectumq; purè SLAVONICAS esse oporteret: Quorsum verò nunc vocabula LATINA, GERMANICA, ITALICA, RUSSICA, spectant? quæ copiosismè irrepsisse in sermonem Curicum, inque eo extare, nemini ejus gnaro non constare potest.

§. XXV. Exinde jam colligi posse existimo, nostrates hodiernos incolas (loquor autem de plebe rustica, de aliis res per se in aprico est) esse quidem ABORIGINES, & iisdem parentib9

(a) *Hist. Nat. Lib. XXXVII. Cap. II.* (b) *in Gothorum Sueonumque historia, Lib. V. cap. II. pag. 196.*

VENEDO-SARMA TICIS, quos ex Paphlagonia egressos, huc-
que delatos, sedes fixisse, superius affirmatum est, prognatos
propagatosque, non tamen non sæpè aliis propaginibus immix-
tos, aliquid a populis ad se commigrantibus traxisse. Neque hic
locum invenit, si quis obtendere satagat, Venedorum e Russia
LIVONIA que factam in Vandalorum, tum crebris expeditio-
nibus exhaustas sedes, successionem, quam gravissimorum
Scriptorum consensu firmari, & à (a) *Bangerto* repeti, ejusque
initium ab imperio Valentiniani III. arcessi, per est manifestum.
Non enim ea impedit, quo minus statuamus, Venedos non
omnes omnino tunc temporis patrias sedes reliquisse, nec ad
unum omnes in Vandalorum sedes commigrasse, ita, ut ad oc-
cupandas terras, omnino incolis cedentibus vacuas, vicinorum
colonias invitarint; dissvadet enim id ipsum ratio, & silent o-
mnes, quicunque etiam, migrationem hancce consignandam
sumsere. Morum etiam similitudo, lingvæque dialectus nihil
evincunt, cum *facile permistas gentes in habitu & moribus*, addo
etiam sermonis genere, *conformari invicem sibi posse*, vel ipsò
hoc Venedorum Vandalorumque exemplo *Bangertus* apertè
fatis demonstret.

§. XXVI. MORES CURONICÆ GENTIS ANTIQUI
nunc restant, quos strictim breviterque attingam, ut leges auto-
ritate publica fixas, dissertatio hæc servet. Liceat autem mihi
quali in antecessum nonnulla de habitu corporum annotare,
quæ indubitato quidem definiri non possunt, ac subinde in uno
eodemque loco variant, nec facile nunc a me determinantur.
Ubi statim in mentem mihi veniunt verba sapientis, & rerum
periti artificis (b) *Vitruvii*, *immanibus corporibus gentes sub Se-
ptentrionibus nutriri*, asserentis, quæ eò minus dubia cuiquam
videri debent, quod (c) *Plinii* patrocinio firmantur, quippe qui
ratione autoritati junxit, graviterq; scripsit: *ob humoris alimen-
tum Septentrionalibus proceritatem corporis* attribui debere.
Conf.

[a] in Chron. Slavor. Helmold. Lib. I. Cap. II. (b) de architectura. Lib. IV, Cap. I.

[c] Hist. Nat. Lib. I. Cap. LXXVIII.

Conf. (a) *Job. Laficius* & alii. Imprimis cibi potusque simplicitas, corporibus innoxia, & simul utilis, lactisque alimentum vigori peraptum, & laboris assiduitas, disciplina item, ususque armorum, & venandi studium, langvorem mollitiemque arcebant, & moli roborique corporum augendo, ex asse ferviebant. Huc spectat similitudo corporum Germanicorum, quæ iisdem ex causis, valida & procera evaserunt; quod nuper doctissimè (b) *Herm. Conring.* est persecutus.

§. XXVII. Capilli genus ista gens directum, si (c) *Vitruvium*, si (d) *Plinium* sequimur, promissum aluit, quod (e) *Aristoteli* simplex est, & causa ejus principiumque cum temperamento gentis, tum ambientis aeris humiditate designatur. Capillos autem non more Romano reseguisse gentem hanc colligitur, quorsum spectant etiam de barbâ non tonderi solitâ, quæ de Getis observat (f) *Ovidius*.

§. XXVIII. Color Septentrionalium, quantû ad cutem candidus, sed quatenus ad oculos spectat, cœruleus glaucusve, flavus tandem ac rufus, quod ad pilum, apud (g) *Vitruvium* (h) *Aristotelem*, (i) *Plinium* (k) *Tacitum*, & alios observatus legi potest. Confer. (l) *Julius Firm. Maternus*. (m) *Procopius*. (n) *Cassiodorus* (o) *Adamus Bremensis*, (p) *Helmoldus*, alique.

§. XXIX. Huc pertinet etiam ætatis, vitæque terminus, qui non sanè tam arctus fuit, ut robori corporum non congrueret

B

eret

[a] de Diis Samagitharum. (b) integro tractatu de habitus corporum German. causis. (c) de architectura Lib. IV. Cap. I. [d] Hist. Nat. Lib. I. Cap. LXXVIII. (e) de generat. animal. Lib. V. Cap. III. (f) Lib. I. Trist. Eleg. VII. & de Ponto Lib. I. Eleg. IX. (g) Architect. Lib. IV. Cap. I. (h) Problemat. sect. ult. quest. II. (i) Hist. Nat. Lib. I. Cap. LXXIX. (k) de German. moribus. Cap. IV. (l) Lib. I. Cap. I. [m] Lib. I. Histor. Vandal. (n) Lib. IV. Var. Ep. XLIX. & in Edicto Cap. CXCIV. (o) Lib. de situ Daniae & reliquar. Septentrional. Region. Cap. 227. pag. 147. (p) in Chronica Slavorum Lib. I. Cap. I. pag. 2.

eret, quoniam calore nativo firmi, & labore durati, viridem senectam agebant, & imprimis grandævi fiebant; quod non ambiguè, de gente sigillatim nostrate apud (a) *Lascium* colligamus, atque exemplis quibusdam apud (b) *Strykonvskium*, atque (c) *Kojalorvicium* confirmemus.

§. XXX. Inter mores verò ipsos, primo locò eos interpretabor, qui victus rationem modumque attinebant. Panem gens prisca, panisque usum ignorabat, *nec pane victitabat, aratrumque non adhibebat*, prout explicat (d) *Herodotus*, & ex veteribus docet confirmatque (e) *Erasmus Stella*. Sed sparsim ad pascua exhibant, ac sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comedebant, quod ex (f) *Diodoro Siculo* colligunt, annotantque. Tum & pecorum carnibus vescebantur, adeò, ut ne ab equinis sibi temperarent. Illud autem ab ingenio nostræ gentis alienum dixerim, quod (g) *Perottus* affirmat, Sarmatarum nonnullos humanæ etiam carnis alimento vitam durasse, & bellantes, cruorem eorum, quem primum interimerent, ex ipsius vulneribus bibisse: etsi, inconditam alias, & beluina nam prorsus vitam, egisse (h) *Diodoro* non repugnare ausim; carnibus enim non elixis & assis, sed crudis & qualitercunque dilaniatis delectatos esse constat. Nullus, aut rarus ferri usus, cultri & instrumenta ad concidendum apta non suppetebant, sed vice eorum ossa, aut ligna, lapidesque præacuti adhibebantur, imprimis ungvibus ad concerpendum, nostrâ, doctorumque conjecturâ, utebantur. Eodem tempore, (si *Hippocrates* autor librorum de moribus est) butyrum (quod lac concretum (i) *Virgilius* interpretatur) ex lacte equino in lignis excavatis agitato, coagulabant, quod e sanguine etiam equi-

no

(a) in *Lib. de Diis Samazit. in descript. Reipubl. Polon. pag. 295.* (b) in *Sarmat. Europ. descript. Prussie.* (c) parte II. *Hist. Lithuan. Lib. II. ad annum 1413.* (d) *Lib. IV. pag. 29. (105.) & pag. 99. (244.)* (e) *Lib. I. antiq. Pruss.* (f) *Lib. I. Bibliothecæ. pag. 8.* (g) in *Cornu copiæ sol. 408.* (h) *Lib. I. Biblioth. p. 8. [5]* (i) *Lib. III. Georg. vers. 461. seq.*

no fieri solitum, apud nonneminem observatum lego, & hodiernum Russis in usu esse, à quòdam Ruslicarum rerum non imperito accepi. Quin & hippacem (a) *Plinii*, non minus tunc familiarem, per caseum equinum plerique exponunt, & simul opinioni nostræ accedunt, & etymi indiciò non falluntur.

§. XXXI. Sitim aquâ, lacte, etiam equino, aut cruore simili pellebant, *ac per desertâ errantes, equorum venas aperiebant, sanguinemque epotabant*, in quam rem multi scriptores tradunt, & doctus ævi sui polyhistor. (b) *Perottus*, iis planè adstipulatur. Alii sanguinem equinum non purum, sed lacte mistum malebant, & quod præcipuè miremur, hòc potus genere crapulam sibi contraxerunt, quod (c) *Adamus Breuensis* consignavit, & *inebriatos esse*, testatus est, atq; ex eo descripsit (d) *Helmoldus*: Indeque γαλακτοφάγων, γαλακτοπότων, ac ιππομέλγων, nomina sortitos esse constat, ut legitur apud (e) *Perottum*.

§. XXXII. Sequioribus tamen temporibus, mores paulatim mutarunt, quando sensim paulatimque humaniores facti, agros hortosque colere cœperunt: Ita etiam, ut (f) *Tacito* admirante, *frumenta, cæterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia laborarint*. Inde farinæ usus invaluit, quam equino sanguini commixtam inter cibos adhibuerunt, ut (g) *Perottus* existimat, & lacti equino additam, atque in pultem conflare solitam (h) *Plinius* consignavit. Tum verò imprimis melle abundabant, quod cum aqua despumatam, mellicratam, seu medonem dixere, potusque locò habuere; donec tandem Germani, & panis usum, & carniū assarum, elixarumque modum, nec non Zythi curmique coquendi artem introduxerunt. Quæ singula conferri possunt apud

B 2

(a)

(a) *Hist. Nat. Lib. XXVIII. Cap. IX.* (b) *in Cornu Copiæ de Sarmatis.* (c) *Lib. de situ Daniae & reliq. Septentr. Region. Cap. 227. pag. 147.* (d) *Chron. Slavorum Lib. I. cap. I.* (e) *Loc. cit.* (f) *de German. moribus* (g) *Loc. cit.* (h) *Hist. Nat. Lib. XVIII.*

(a) *Herodotum*, (b) *Pompon. Melam*, (c) *Diodor. Siculum*, (d) *Adamum Bremensem*, (e) *Helmoldum*, (f) *Erasmi Stellam*, (g) *Petrus de Dusburg*, (h) *Cromerum*, (i) *Chron. Ord.* (k) *Hennebergerum*, (l) *Herm. Conringium*, (m) *Loeccenium*, aliosque egregios priscae historiae conditores.

§. XXXIII. Domicilia, non arte facta, sed rudi opere ex cespitibus arboribusque constructa primitus habuisse, affirmo. Quotus enim quisque est, qui ignorat, morem vagandi per solitudines, apud eos receptum? Non autem modo per desertas & sylvas saepe errarunt, sed etiam pro aedibus, plaustra, coriis, imbrium hyemisque causa, tecta, aut specus etiam & suffosula habitarunt, aut arborum subere nexuque ramorum, ab imbribus & algoribus, sese ac infantes, protegere consueverunt; ut ex antiquis & gravibus autoribus, (n) *Herodoto*, (o) *Tacito*, (p) *Pompon. Mela*, (q) *Justino*, (r) *Erasmo Stella*, (s) *Kojalovvizio* & aliis colligi abunde potest. Domo ceteroquin aedificandi institutum a Germanis, ut hi a Romanis acceperunt, quando assentiente *Tacito*, multum ex Germanorum moribus paulatim traxere, adeo, ut ob hanc similitudinem *Tacitus* dubitaret, utrum eos Germanis adscriberet, an Sarmatis adnumeraret.

§. XXXIV. Idem de vestitu pronunciandum est, cujus rationes cum Germanis communes habuerunt; quando utrosque

(a) *Lib. IV.* (b) *de situ orbis Lib. III. Cap. IV.* (c) *Biblioth. Lib. I. p. 8.* (d) *de situ Daniae & reliq. Septentr. Region. Cap. 227. pag. 147.* (e) *Chronica Slavorum Lib. I. Cap. I.* (f) *Lib. I. antiquit. Pruss.* (g) *parte III. Chronica Pruss. Cap. V. & LXIX.* (h) *de origine & reb. gestis Polonorum Lib. III. in Corp. Hist. Polon. Tom. II. pag. 443.* (i) *fol. 19. v.* (k) *in Lib. de V. P. fol. 56.* (l) *de habitus corporum Germanorum causis.* [m] *Antiquit. Sveo-Gothic. Lib. II. Cap. XXI.* (n) *Lib. IV. p. 259. (105)* (o) *de German. moribus.* (p) *Lib. II. de situ orbis Cap. I. & Lib. III. Cap. IV.* (q) *Lib. II. Hist. Cap. II.* (r) *Lib. II. Antiquit. Boruss.* (s) *Parte I. Hist. Lithuan. Lib. I. pag. 13.*

necessitas, frigorisque inclementia docuit, ferarum exuvias vestimentis adhibere. Pelles animalium rudes & incompositæ erant, quibus tum maximè abundarunt, easque sequiori tempore cum Germanorum mercibus commutarunt, ut ex mediæ historiæ scriptoribus liquet; neq; dissentiunt (a) *Adamus Bremenfis* (b) *Althammery*, & (c) *Willichig*, (d) *Helmoldus*, (e) *Cluvero* aliiq;. Pellibus verò & rhenonibus, de quibus (f) alibi jam dictū est, primitus humeros saltem ac terga velati, reliquum corpus, maximam partem intecti erant, usque dum pelles hæc, ad cultiorem Germanorum morem formamque componerent, magisque usu edocti, manicas inderent, & tandem vestem integram consuerent, Germanosque etiam hoc instituto imitarentur. Et vix dubito, quin pellitæ gentis vestigia in posteris permanferint, cum etiamnum ista Venedicæ gentis propago, fervidissimo quoque anni tempore pellibus utatur. Linteaminum e lino faciendorum, pannive e lana texendi artes, a Germanis acceptæ, adhuc vigent, & hodie nulli non tugurio sunt communes. Ex libris quoque arborum vestimenta confecisse, (g) *Mela* non contradixerim, præsertim cum hodiernum plebem nostratam id facere sciam, atque in aprico sit, eam e textili atq; plicatili arborum, maximè tiliarum pellicula, quæ cortici interiori proxima est, calceamentorum genus quoddam parare. Nec sagum *Taciti* hic omiserim, quod ultimis temporibus receptum, hucusque fœmellis nostratibus usitatum, inò quotidianum, Romanisque veteribus admodum simile est, quæ tum *quadram* & *quadratam figuram* habuisse notat (h) *Isidorus*, atque e *lana aspera* & *villosa* contexta fuisse (i) *Strabo* indicat; fortè etiam suspicari liceat, à lana (*Wille*) populi nostratis

(a) de situ Dan. & reliq. Sept. Reg. cap. 217. p. 147. (b) in Tacit. ap. Schard. red. Tom. 1. fol. 15. a. (c) ap. Schard. red. Tom. 1. fol. 53. a. XXIV. (d) in Chron. Sclavorum Lib. I. Cap. I. (e) Germ. ant. Lib. I. Cap. XVI. pag. 115. 116. 117. (f) in argum. historiam complectentibus §. XIV. (g) Lib. III. Cap. III. (h) Lib. XIX. Cap. XXIV. (i) Lib. IV.

stratis vocabulum, *Willajne*, (quod ipsi sagum est) nuncupatum esse. (a) *Dionysius Halicarnassensis* Lydis Persisque (b) *Mela* quibusdam Africae populis, (c) *Strabo* Belgis Gallisque tribuit: Lænas dici, usu & autoritate (d) *Martialis* & (e) *Juvenalis* constat. Videri possunt de hisce pellium, vestimentorumque generibus, modisque (f) *Cæsar*, (g) *Seneca*, (h) *Ovidius*, (i) *Pomp. Mela*, (k) *Tacitus*, (l) *Isidorus*, (m) *Plinius*, (n) *Lucanus*, (o) *Adamus Bremensis*, (p) *Helmoldus*, (q) *de Dusburg*, (r) *Lascius*, (s) *Cluverus* aliique.

§. XXXV. Nunc de cultu divino aliquid breviter addendum est, qui, etsi per omnia capita sigillatim definiri non possit, tamen abunde patet, gentem nostratam inter alias maximè superstitionibus deditam fuisse; Quorsum spectat testimonium (t) *Adami*, ingenuè affirmantis, *Carlandam gentem crudelissimam, ob nimium idololatriæ cultum ab omnibus devitari solitam, domusque omnes, auguriis & necromanticis plenas, vestitu insuper monachico indutam fuisse: ubi sanè vestigia defendunt Bremensem, comprobantque adserta: aurum verò illis plurimum adscribentem, responsa, a totò orbe, maximè Hispanis & Græcis ibidem petita, adferentem, facilè excusat fallax narrationis transmarinæ fides. Illud vero omnibus constat, solem, lunam, stellas, tonitrua, fulgura, ignem, serpentes, dracones, bufones etiam & alia, mox cum, mox sine simulacris, ibi culta quondam & adorata fuisse, & utinam nunc omnis ea in universum extincta extirpataque superstitione esset! Huc referri debent (u) *Adamus Bremensis* (x) *Sigismundus L. B. ab Heberstein*, (y) *Matth. Strykovsky Ossostevicinus*, (z) *Petrus de Dusburg*,*

- (a) Lib. III. (b) Lib. I. Cap. VIII. (c) Lib. IV. (d) Lib. VI. (e) Satyra IX. (f) Lib. IV. & VI. belli gallici. (g) Lib. I. de ira Cap. XI. (h) de ponto Lib. I Eleg. VI. (i) loc. cit. [k] Hist. Aug. Lib. XVII. & XVIII. (l) Lib. XIX. Cap. XIII. (m) in proœm. Lib. XII. (n) Lib. I. (o) de sit. Dan. & Rel. Sept. Reg. Cap. 217. (p) Lib. I. Chron. Slav. cap. I. (q) part. III. Chron. Cap. V. [r] de diis Sarmagitharum. (s) Ger. n. ant. Lib. I. Cap. XVI. (t) loc. cit. cap. 223. pag. 146. (u) loc. cit. cap. 223. & 224. (x) in Comment. rer. Moscovit. pag. 84. (y) in Sarmat. Europ. (z) Chron. Pruss. part. III. cap. V.

(a) *Lassicius*, (b) *Michalo Lithuanus*, (c) *Chronicon Ordinis*, (d) *Hennebergerus*, nec non de sylvis, fontibus & lacubus, diis ipsorum sacris, (e) *Matthias de Michovia*, (f) *Helmoldus* & alii. Eodem faciunt, quæ nuper admodum de Veterum Prussorum Diis diligenter *Hartknochius* conscripsit.

§. XXXVI. Quamnam verò connubiorum legem ritumq; habuerint, haud facile est, explicare, promiscuis vagisque libidinibus conjugium foedasse, vix apud idoneos legas, & nullo verosimili indicio defendas. Adulteria namque proscripita, punitaque sunt, non secus atque apud Parthos, quibus Scythicum morem tribuit (g) *Justinus*, atque ita turpitudinem hanc averfati sunt, ut, (h) *Hennebergero* tradente, non modò vivi cremationis pœnam in adulteros statuerent, sed memoriam quoque illorum, sparsis in viam publicam cineribus, abolendam censerent. Singuli tamen plures uxores habuerunt, eamque consuetudinem Scythæ & omnes ferè Scythici Celticiq; populi tenuerunt; quod seorsim de nostratibus affirmant (i) *Cromerus*, (k) *Dlugoffus*, (l) *Matthias Michovius*, (m) *Grunovius*, (n) *Sylvius*, aliique gravissimi scriptores. Consanguinitatis jura & gradus, non tam accuratè semper servarunt, Persis tamen castiores, qui conjugia parentum filiorumq; in serie recta, admiserunt, confer. *Michovius*. Pudicitia ceteroqui non inane studium, temporibus imprimis sequioribus, adhibitum est, cujus etiamnum vestigia existant: Non enim quenquam fugit, mos sanè perridiculus, tintinnabula e zonis cingulisve pendula gestandi, qui apud sequiorem plebis nostratis sexum hodiernum receptus, & legibus quondam sancitus est, ut eò velut signò dato, in parentum conspectu,

Cu-

(a) de diis Samagitarum. (b) de moribus Tartaror. & Lithuanorum. (c) sub Hermanno de Salza fol. 28. 6. (d) de Vet. Pruss. fol. 12. a. (e) Lib. IV. Chron. Polon. XLV. (f) Lib. I. Chron. Slav. cap. I. (g) Lib. XLI. (h) de Vet. Pruss. fol. 17. b. (i) Lib. III. p. 343. (k) Lib. II. annal. ad annum 997. (l) Lib. II. Chron. Polon. cap. VIII. [m] Tract. II. cap. III. (n) in descript. Prussiae.

DA 74 6360

custodiaque versarentur. Appositè (a) *Lascius*, apud *Curonenses*, ait, puellæ nubiles, multis in *lasis* gestant tintinnabulum, quod funiculo alligatum e cingulo dependet usq; ad genua. & vicissim (b) alibi, puella, inquit, stricte persequitur cultro, se ad impudicitiam sollicitantem, quæ duobus ante & retro pendentibus de zona tintinnabulis incedit, quibus rebus monentur parentes, ubi sit, quidve agat filia. Scitum sanè, in licentiam sequioris sexus petulantiamque animadvertendi compendium, unde postmodum conchæ, cochleæque, quas vulgus serpentum crania falso venditat, perizomatium usibus adhibitæ, nolisque innexæ existimari debent.

§. XXXVII. Mortuorum cadavera cremata sunt, & velut narrat (c) *Ko-jalovvicius*, propinqui senio aut morbo spem omnem evincente confecti, trucidati, mancipia, equi, canes, & quicquid in vivis carum habuissent, funerali rogo una cum defunctorum cadaveribus exusti. Tum apud eos in laude positum est, si mulier propria manu sibi mortem conscisceret, ut unâ strue pariter arderet, cum virò suo, quod seculo VIII. annotavit (d) *Bonifacius*, Antistes *Moguntiensis*. Confer. & (e) *Joh. Dlugossus* (f) *Chron. Ordinis*. (g) *Petrus de Dusbürg*, (h) *Hennebergerus*, similesque monumentorum conditores. Postea verò quam humari cœperunt, munuscula velut in viaticum defunctis attributa sunt, atque inter hæc securis, acus, filum annuli, armillæ, quin & nummi, tum panis, potusve interdum addi consueverunt. Lubens equidè hic plura attexerem de antiqva *Curonorum Republica*, moribus magis quàm legibus comprehensa, ac plebejâ communique libertate, sæpe tamen in licentiam versâ, & indole prope indomitâ, sed disciplinæ tamen, si cultus accederet, capaci, erectâ item fortique, ac multis cruentisque præliis egregiè frequenterque comprobatâ; nisi spatii angustia, & legum autoritas me intra præscriptos fines terminosque coërceret. Quod reliquum est, conatus, qui in arduis quoque sufficit, causam meam, atque ingenii & virium pariter imbecillitatem defendet.

(a) de *Diis Samagitarum* pag. 56. (b) *ibid.* pag. 46. (c) parte I. *Hist. Ltuan.* Lib. I. pag. 5. seq. [d] in *Epistola ap. Zvingerum in Theatr. M. V. H. Volum. XIX. Lib. II. fol. 3596.* [e] *Lib. II. annal. Polon. ad annum 997* (f) fol. 13. (g) parte III, cap. 5. (h) de *Vet. Prusf.* fol. 23.

1077

22

Q.K.
384
216



GENU

CUM

DA




M. SAM

JOH. CHE

Ad diem III. N


WITTENB



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



NEM,

N.

IS

NÆUS,

NESTI,

LXXXIII.

ningii,

